



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

21. S. Thomas Apostolus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Non deerit præmium, si nos à cultu, & amore Mariæ nullum retraxerit tœdium. Per Mariam enim innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, & unitur, diabolus vincitur, & conteritur, juxta scriptum: *Ipsa conteret caput tuum.* Idiota.

## Festum S. Thomæ Indiarum Apostoli.

### EXHORTATIUNCULA I.

**D**isplicuit Christo incredulitas Thomæ. Hinc illa increpatio: *Noli esse incredulus; sed fidelis.* Fili! terreant nos ista, & ad vivam, ac operosam animos excitent fidem. Sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia remunerator bonorum est. Hebr. 11.

#### *Instructio meritoria.*

Ne simus de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt, in honorem duodecim Apostolorum hodie *duodecim Pater & Ave cum symbolo. S. Athanasii: Qui-*

*cunque vult salvus esse &c. recitemus cum repetita sæpius S Marci attestatione: Credo Domine! adjuva incredulitatem meam.*

## II.

**B**Eati, qui non viderunt, & crediderunt. Fides firma, & viva esse debet. Sed non est, si solùm secundùm carnem, & sensualitatem est. Velle tantùm credere, quod manibus palpabile, non credere, sed decipi est. O chære fili! si credimus solùm secundùm carnem, moriemur. Testor D. Jacobi verba: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus in spiritu factis. Non nomen salvat Christiani, sed mensura Nominis. Peccata increduli Christiani graviora sunt, quàm peccata gentilium, *quia atrocius sub sancti nominis professione peccamus.* Salvianus.

*Instructio meritoria.*

Tremenda hæc sunt! studeamus hodie reflexè divinæ præsentia nobiscum repetendo suspiria Thomæ jam jam pœnitentis: *Dominus meus, & Deus meus!*

Jun.

Jungamus quoque psalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* Non contemplerur, quæ videntur, quia temporalia sunt. Ad invisibilia cum fidei oculis. Hæc æterna sunt.

## III.

**F**ides constans est. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quis autem inconstantior homine sensualitati deditô? tamdiu credit, quamdiu inter corporis solatia, recreationes, & alia carnis delectamenta. At hîs recedentibûs, aut ablatîs obliviscitur Domini, ac Dei sui. O miseram fidem! non fidem, quia mortua.

*Instructio meritoria.*

Nunquam accedamus locum refectio-  
nis, recreationis, aut conversationis nisi  
aut præmissô speciali examine, aut coram  
Sanctissimo reflexâ intentione devotissi-  
mâ cum positiva protestatione, non ali-  
ter, quàm cum, & propter Deum nos  
reficiendi, refocillandi &c. In confirma-  
tionem addamus unam, alteramve cau-  
telam circa gustum, linguam, oculos, &  
auditum, quam roborabimus *septem*

G g 3

*Pater*

702 XXIV. Decemb. Vigilia Nativ. D. N. J. C.  
*Pater, & Ave cum uno Credo.* Ibi plus  
requiritur cautelæ, & sollicitudinis,  
ubi plus imminet periculi. Ne amare  
videamur, fugiamus.

Vigilia Nascituri Domini nostri  
Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

**C**onfolamini! consolamini dilecte  
mi! Hodie scietis, quia veniet Do-  
minus: & manè videbitis gloriam ejus.  
Constantes estote! Crastina die delebitur  
iniquitas terræ, & regnabit, super nos  
Salvator sæculi. O quanta dies! Taceant,  
& quiescant cogitationes turbidæ! Jesus  
appropinquat! Fili! ad Jesum propera-  
mus. Ut autem videamus Deum de  
Deo, lumen de lumine.

*Instructio meritoria.*

Præparemus Domino optatum habi-  
taculum per solitariam, quietam, & so-  
briam vitam, nos segregandò à negotiis  
extrinsecis, & detinendò in solitudine  
sancta. Repetamus illa septem O Ma-  
jora cum oratione de Vigilia. Quod pi-  
sci est aqua, hoc nobis est vita recollecta.

Hâc